



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

Lugduni, 1652-1663

4. De matrimonio Clandestino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80577)

posset ab Ecclesia validus iudicari ex defectu probationis requisitæ à Tridentino, faciendæ testimonio Parochi & testium aliorum. Omnes communiter.

38
Validum est coniugium si subest aliquis error facti, vel iuris, & uterque consentiat, quantum in ipsis est.

Validum est Matrimonium, si subest aliquis errori facti, vel iuris, & uterque consentiat, quantum in ipsis est, si verò contracto aliquo Matrimonio, quod validum ex errore existimetur, denuo in illud consentiatur, non ideo convalidatur; sed tantum ratificatur contractus, qui nullus est. Aragon. 2. 2. quæst. 33. a. 6. c. 3. Navar. cap. 22. num. 47. Cum vero impetrata dispensatione, vel cessante impedimento, de nouo consentiendum est in Matrimonium antea scienter nullum, utriusque consensus requiritur ut externè renouetur. Quando verò ratificandum est Matrimonium inuàlidum ob occultum impedimentum, coniux inscius de priori nullitate, certior fieri debet, celata nullitatis causa, & renouandus consensus. At si scandalum timeretur, vel rescissio Matrimonij cum infamia, satis esset cautè inscijs consensus de nouo exquirere, dissimulata nullitate. Coram Parocho autem tunc renouandus est consensus, quando antea coram ipso Matrimonium contractum esset, vel impedimentum ab aliquo ex assistentibus cognitum fuerit; quamvis in hoc casu dispensationis beneficio posset etiam secretò inter contrahentes tantum renouari. Sanchez l. 2. d. 43. c. 34. Henric. lib. 11. cap. 11. num. 5. Filliuc. tract. 10. cap. 3. quæst. 7. Aragon. 2. 2. quæst. 33. art. 6. capit. 3. Navar. cap. 22. numer. 47. Coninch d. 24. dub. 10. num. 90.

39
Non sufficit taciturnitas ad exprimendum.

Non sufficit taciturnitas ad exprimendum regulariter matrimonialem consensum. Quia taciturnitas non habetur pro expressione consensus. Ius tamen aliquando accipit taciturnitatem pro consensu expressione, ut accidit, quando quis promittit feminae quæ tacet coram patre, vel matre, vel alio curam ipsius gerente; & pater vel mater, vel curam illius gerens pro ea repromittit; tunc enim valide Matrimonium contrahitur, si femina interius consentiat de præsentì. Quando tamen puella tacet, & nullus pro ea respondet, quamvis ipsa interius consentiat, non est validum; neque quando aliquis promittit de præsentì puellæ tacenti, & extraneus pro ipsa respondet, & repromittit. Quia quæ parens, vel tutor agit, censetur agere in gratiam, & fauorem puellæ, cuius curam gerit: & tunc valet regula Iuris, *Qui tacet consentire videtur*: Quando autem extraneus pro tacente respondet, puella non tenetur loqui, nec promissio alterius est illi simpliciter grata: unde taciturnitas pro expressione Consensus non accipitur. Couar. p. 2. cap. 4. num. 4. Navar. cap. 22. num. 58. Sanchez lib. 2. d. 23. Coninch d. 21. dub. 3. Gutier. cap. 13. n. 1. Laym. lib. 5. tract. 10. part. 1. cap. 2. numer. 13. Diana part. 3. tract. 4. resol. 270. 271. & 272.

40
Qua coram bitrio committatur de genere, quænam contentiones sufficiant, ut certitudinem moralem faciant ficti consensus in Matrimonio: sufficientes tamen hæc debent censeri: Primum, si cum vir protulit verba consensus in continenti reuocat: potest enim præsumi, per errorem

protulisse. Secundò, si vir statim se fictè consensisse aperiat, aliudque Matrimonium inerat, vel transeat ad Religionem, aut ad Sacros Ordines promoueat. Tertiò, si vir, asserens, se fictè consensisse, sit longè disparita ut prudentis arbitrio vix credi possit, eum illam duxisse. Tamen hoc in casu, viro non promotò ad Religionis statum, non est tutum femina ad alias transire nuptias, cum passim suppetant exempla virorum, qui exco amore capti, nuptias valde impares celebrant. Quartò, etsi ea disparitas non inueniatur, fictus tamen consensus detegitur à viro, si id iuramento confirmet, & probabile sit, eam non peiorare, & simul aliam ducat uxorem, vel Religionem proficiat, vel Ordinem Sacrum assumat. Quintò, si puella neget, verum consensum se præstitisse, verisimilibus coniecturis metum patris comprobans, estque honestæ vitæ, & alij nubit. Sanchez l. 2. d. 43. n. 5. & 6. Navar. c. 21. numer. 76. Sylvest. verb. Matrimonium 4. q. 9. dicto 3. Victor. numer. 249. Sotus in 4. diff. 27. quæst. 1. art. 3.

CAPVT IV.

De Matrimonio Clandestino.

Matrimonium Clandestinum dicitur, quod clam fit: quod duobus modis potest contingere. Primum, quando fit sine Parocho & testibus. Secundò quando celebratur denunciationibus omis. Quando autem reliquæ solemnitates prætereuntur, non Clandestinum sed minus solemne appellatur. Filliuc. tra. 10. cap. 5. quæst. 1. Henric. lib. 11. cap. 5. num. 1. Rodrig. tom. 1. cap. 117. num. 1.

Matrimonium sine Parocho, & duobus vel tribus testibus, est inualidum, quamvis autè Tridentinum validum fuerit: unde copula animo maritali habita, absente Parocho & testibus, modò non sufficit ad Matrimonium, licet alias fuerit sufficiens. Trident. sess. 24. cap. 1. Et id contrahentes sine Parocho & testibus, peccant mortaliter. Quia faciunt irritum Matrimonium, & Sacramentum, & contra Ecclesiæ prohibitionem in re graui. Ex Declaratione autem Cardinalium Matrimonium non est Clandestinum, & inualidum, quod domi celebratur, modo præsentibus sint Parochus, & testes. Rebellus part. 1. l. 1. quæst. 7. n. 11. Coninch d. 27. dub. 1.

Matrimonium Clandestinum semper fuit illicitum. Patet ex Tridentino sess. 24. vbi habetur, Ecclesiæ semper illud fuisse detestatum ac prohibuisse. Idem constat ex Cap. Nolumus 30. q. 8. & Cap. Cum inibi de clandest. despons. Unde Matrimonium sine Parocho & testibus alijs incutes, delinquebant contra Matrimonij bona & contra Ecclesiæ præceptum: quod cum esset de materia graui, eius transgressio mortalis erat ob grauissima incòmoda ex illo prouenientia. Tamen concurrentibus grauissimis causis, poterat licitè fieri de quibus lege Navarum capit. 36. numer. 37. Sotum

Sect. I. De Matrim Essentia, Recep. Sent. 45

in a. diff. 28. question. 1. art. 2.
Qui inuincibiliter ignorat legem irritantem
Concilij, non ideo valide contrahit. Quia
ignorantia quamvis inuincibilis non supplet
solemnitatem ex lege requisitam ad actus va-
lorem. Sotus, Medin. Nauar. Rodrig. & alij
apud Sanchez lib. 3. d. 17. numer. 9. 10.
& 11.

Quamvis illud clandestinum Matrimonium
quod abque præmissis Denunciationibus con-
trahitur validum sit, quia iure antiquo vali-
dum erat, & ab eo recedendum non est abs-
que manifesto decreto irritanti: peccatum ta-
men mortale est, sic contrahere, quando de-
nunciations omittuntur sine facultate, aut
legitima causa. Quia in re grauiissima graui-
bus obnoxia incommotis præceptum Eccle-
siae violatur. Nauar. cap. 22. numer. 70. Reginal.
lib. 3. numer. 222. Sanchez lib. 3. d. 5. n. 6.

Facultas vero dispensandi in denuncia-
tionibus ante & post Matrimonium consumma-
tum, in Tridentino Ordinario conceditur. No-
mine Ordinarij intelligendus est Episcopus,
aut alter, Prælati habens iurisdictionem
quasi Episcopalem, qui non sit subditus Epis-
copo, aut etiam Vicario generali: non autem
Parochus, aut alius Sacerdos inferior. Bonac.
question. 2. punct. 6. numer. 7. Filliuc. tract. 10.
capit. 5. question. 6. Diana part. 3. tract. 4.
resol. 237.

In Concilio Lateranensi generali II. præ-
ceptum erat, vt denunciations Matrimonio
præmitterentur, quod decretum Tridentinum
innouauit, iussitque, vt Matrimonio præmit-
tantur tres denunciations a proprio contra-
hentium Parochis in Ecclesia inter Mis-
sarum solemniam publicè faciendæ. Lateran. 2.
cap. 51. Trident. sess. 23. cap. 1.

Iuxta multorum sententiam, non esset
mortale si Parochus vnam denunciationem
omitteret, si moraliter certus esset, nullum
subesse impedimentum. Syluest. ver. Matrimo-
nium. Quæst. 7. Sanchez lib. 3. d. 5. n. 7. Imo ali-
quando Matrimonium potest sine denuncia-
tionibus celebrari: etiam si non adfit Ordinarij
facultas, quando scilicet periculum est in mo-
ta, ita vt Episcopus non possit adiri, & alio-
quin Episcopus teneretur dispensare, si adiri
posset. Reginal. lib. 3. numer. 214. & 226. Tene-
tur verò Episcopus dispensare, vt Matrimo-
nium sine denunciationibus celebraretur, quan-
do alioquin publicum aliquod sequeretur in-
commotum, aut priuatum notabile malum.
Coninch d. 27. dub. 6. Sanchez lib. 3. d. 10.
numer. 6.

Episcopus, vel Prælati alterius contra-
hentes potest cum utroque in denunciationi-
bus dispensare, sicut potest, alteruter Præla-
tus ratione connexionis utrumque coniugio
copulare Sanchez lib. 3. d. 7. numer. 7. Bonac. de
Matr. q. 2. punct. 6. n. 7. Et hoc maxime verum
de Prælati, in cuius Diocesi celebrandum est
Matrimonium. Et hanc dispensandi in denun-
ciationibus facultatem potest Episcopus al-
teri delegare, cum illi iure Ordinario compe-
tat. Reginal. lib. 3. numer. 235. Præterea qui pos-
sunt in denunciationibus dispensare, possunt
similiter ex iusta causa breuiare vel produce-
re denunciationum tempus: & ne festiuis
diebus, sed ferialibus gerantur, Sanchez

lib. 3. d. 7. numer. 5. & 6. Diana part. 3. tract. 4.
re. ol. 237. & 239.

Vt Episcopus valeat in denunciationibus
dispensare, iusta debet subesse causa. Porro ex
Doctoribus hæc iustas causas collegi. Quan-
do creditur Matrimonium iniuste impedi-
dum, vt per maleficia, aut parentum seu alio-
rum fraudes: Quando contrahentes sunt adeo
ætate dispares, vt rubore ex publicatione sint
afficiendi: Quando denunciations fieri non
possunt absque detrimento, aut notabili in-
commotum in fama, in corpore, vel in bonis
fortuna, aut sine scandalo: Quando vicinum
est tempus, quo prohibitum sit nuptiis bene-
dici, vt tempus Aduentus, vel Quadragesimæ.
Quando notabilis sponsus subest commoditas
Quando magnates sunt contracturi: Quando
in mortis constitutus articulo, vult concubi-
nam ducere. Verum cum hæc septem in casu-
bus Ordinarius dispensat, debet informari,
num aliqua impedimenta subsint inter con-
trahentes. Henric. lib. 1. cap. 5. Nauar. cap. 22.
numer. 7. Filliuc. tract. 10. cap. 5. quæst. 7. Reginal.
lib. 3. numer. 235. Coninch d. 27. numer. 57. Sanchez
lib. 3. d. 9.

Quemadmodum lethale piaculum est, Ma-
trimonium ante præmissas denunciations
contrahere ita peccatum mortale erit illud, il-
lis non præmissis, consummare. Quia contra-
hentes se periculo exponunt fornicationis,
non adhibendo diligentiam ab Ecclesia præ-
scriptam. Et hoc non tantum prima vice, sed
etiam quoties dant operam copula. Quia ead-
em prolixius militat præcepti ratio, cum forni-
cationis periculum imminet, haud adhibita
diligentia necessaria, vt facilius impedimenta
delegantur. Nauar. cap. 22. numer. 83. Reginal. l.
3. numer. 237. Sanchez lib. 3. d. 11. Coninch d.
27. numer. 52. & 58. Scio tamen problemati-
ce posse hanc sententiam sustineri, de quo
Sect. 2.

Concilium itaque Tridentinum præscripsit
sess. 24. capit. de reform. in primis, denunciations
faciendas esse in propria Parochia: &
quando sponsi sunt diuersarum Parochiarum,
in vtraque gerendas, si vero contrahentes ha-
beant plura domicilia, seu Parochias, agendas
esse in illa, in qua diutius habitant, & princi-
paliorem habent larem: vel potius in ea Pa-
rochia sponsum in qua verosimilius est sciri
impedimenta, verbi gratia: in Parochia, ubi
fuit antiqua parentum habitatio. Deinde iu-
bet denunciations a proprio contrahentium
Parochis geri, vel ab alio ex ipsius Parochi li-
centia, Parochus autem denunciations abs-
que legitima causa omittens per triennium
ab officio suspendendus. Item præscribit, de-
nunciations tribus diebus festis continuis pu-
blicari. Non peccaret verò Parochus mortali-
ter si vno vel altero die festo omittat, ratione
paruitatis materiæ: Secus si multos dies festos
inter vnam & alteram denunciationem inter-
ponat. Demum præcipit, gerendas esse in Ec-
clesia inter Missarum solemniam. Dixerim ex
Doctoribus, posse fieri extra Ecclesiam in lo-
co, ad quem magna populi copia confluit, vt
in prædicationibus: imò posse die non festo
proferri, quando ingens populi multitudo ad
Ecclesiam accedit. Quia legis ratio saluatur.
Sic ex Cardinalium declaratione Reginal. l. 3. r.
numer. 238.

50
Iusta causa
ad dispensan-
dum in denun-
ciationibus.

51
Mortale est
Matrimonij
consummaræ
ante præmis-
sas denun-
ciationes.

52
Quid Tride-
ntinum circa
denunciations
instituit
explicatur.

COBAR
et Mort
III. IV
IV. IV

